


peram ex omni serpentum genere è corpore animal edere ; quam quam aliqui secus sentire videntur , quibus inferius respondere decrevimus. Quid igitur sit Vipera ex descriptione , & diffinitione clarè unicuique patet.



COGNITA FORMARVM

differentia qua superius explicata fuit , necessario confirmanda est ob quosdam pertinacis obstinationis in hoc orbe aliter stantentes.

CAP. III.



Osita una tantum Viperae serpentis specie ex differentia propria; cum ex ipsa natura, tum ex Aristotele, cui jam dudum ex observatione diligentissimo sibi innotuerat, cum

18 DE VIPERÆ NATURA

cum ab Alexandro ad hoc negotium rectè expediendum de animalium natura decem servorum millia per tot annos acceperit; quis modo feret Albertum Magnum viginti septem Viperarum species proferentem? Et speciem pro summo genere assumpsisse pariter non sine errore existimandum est, Sed hæc opinio explosa jam fuit: quoniam sola Vipera animal parit, & observatione innotuit Aristoteli. Alium verò Historicum magis quam Philosophum hæmorrhoum & cerastem, Viperæ speciem esse ex Nicandro atulisse novimus, & dipsadem cum Aëtio Viperæ speciem esse conclusisse, quæ cum absurda sint omnia, & apud vulgus notissima minime admittenda iudicamus. Nonnulli aspidem ova intra se parere confirmarunt; ex aliorum sententia; etiam asseruit Collenutius, nec discors fuit Virgilius, Marcellus, nonnulli etiam assensere; verùm Nicander multiq; alii, qui Ægyptum

tum petiêre, aspidum & crocodili o-
 va ab Ichneymone frangi, & sub terra
 penitus abscondi attestantur: pro-
 pterea Aspis Vipera esse non potest.
 Galenus lib. II. simpl. scribit Viperam
 esse longè diversam à dipsade, & si
 quandoque eadem, aut in falsis locis
 degit, vel si ætate capiatur, aut ene-
 cetur, vel plurimo sale condiatur, vel
 vetustior sit, ingentum fitim excita-
 re. Quod Hieronymus Cardanus
 cum nonnullis aliis negligenter præ-
 teriit, & dipsadem esse Viperam, ac
 specio eandem voluit, neglecto Ari-
 stotelico dogmate, & Galenico. Ego
 verò ultra eam, quæ cognita jam est
 Viperæ speciem, nullam aliam reci-
 piendam statui, neque in hoc nostro
 orbe, neque in nuper cognitis locis,
 nisi vivum in lucem edere dignosce-
 retur. Clemens ad Jacobum fratrem
 Domini scribens, ait, ex cinere nasci
 Viperam tanquam ex putri materia,
 quo in loco Viperam pro serpente
 intellexisse crediderim. Hæc quam
 diffi-

20 DE VIPERÆ NATURA

diffinivimus ex propagatione, & quidem feraci, viva nascitur. Jam igitur colligamus non aliam esse Viperæ speciem præter hanc ipsam solam, & si Albertus, Nicander, Ælianus, Aëtius, Virgilius, Marcellus, & Cardanus, alias Viperarum species invexerint, audiendi non sunt, nisi viva edere animantia, non ova, manifestè ostenderit. His visis omnem in posterum fidem habendam judicabimus. De his satis actum est.